

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 9528

**Auteur(s) :** Gautier de Coutances, Rouen (archevêque)

**Bénéficiaire(s) :** Notre-Dame-de-Bondeville, Notre-Dame de Bondeville (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1184-1207]

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

À la demande de la prieure Marie et des religieuses de Notre-Dame de Bondeville, Gautier, archevêque de Rouen, confirme les biens du monastère Notre-Dame de Bondeville.

## Tableau de la tradition

### Original

A. Rouen, Arch. dép. Seine-Maritime, 52H16.

## Dissertation critique

Transcription : Tamiko Fournier-Fujimoto

### Texte d'après A

Walterus, Dei gratia Rothomagensis ecclesie archiepiscopus, omnibus sancte matris Ecclesie filiis ad quos presentes littere parvenerint in Domino salutem. Approbate consuetudinis est ea que pie et juste ecclesiis conseruntur post modum invidia malignantium perturbari valeant, apicibus litterarum annotare, et pontificali auctoritate communire. Inde est quod justis petitionibus dilectorum filiarum nostrarum Marie priorisse et monialium Beate Marie de Bondevilla, assensum paterno prebentes affectu monasterium ipsarum et possessiones et libertates et consuetudines subscriptas sicut ex cartis bone memorie Hugonis et Rotrodi, predecessorum nostrorum, et quorumdam donatorum diligenter inspectis intelleximus, eis canonice in perpetuam elemosinam collatis sub nostra et ecclesie nostre protectione suscipimus et presentis carte auctoritate confirmamus. Videlicet ex dono Ricardi de Rovres et filiorum suorum, Gisleberti et Willelmi, et Matildis uxoris sue, pro Dei amore et salute anime sue et omnium parentium suorum, culturam terre juxta monasterium adjacentem et sedem unius piscine in aqua sua, et decimas molendinorum suorum de Malo Alneto, et sedem unius molendini ante curiam ipsarum et decimam molendini sui de Humo et omnium molendinorum suorum de Bondevilla et de Moncello, et decimas censum et regardorum totius redditus sui et totius nemoris sui de Monte Calvel et secundam decimam sue segetis et quatuor burgenses in Haia Montis Calvel qui omnes reddunt .VIIIt. solidos per annum et sedem unius curie inter duas aquas et transitum ad pasturam foreste de Selveisons et decimam unius ville sue que vocatur Boscus et unum hospitem qui reddit .V. solidos per annum et .VIIItem. acras terre unde celebrantur tres misse pro fidelibus quaque ebdomada, et unam carrucam terre apud Pubuef quam tenebat de feodo Pratellorum et pasnagium por[corum et herba]gium animalium suorum et mortuum boscum in Monte Cauvel et pratum juxta molendinum in dotem ecclesie et decimam virgultorum suorum, et ad Cokerelmont duas acras et unam virgultam terre, et ad Malum Alnetum unam mansuram et decimam redditus sui de Espinevilla. Concessit etiam eis ex dono Roberti fabri, unam acram terre ad Malum Alnetum, et ex dono Ricardi de Vado unam acram terre inter duas aquas, et apud Les Alneiz,

quatuor acras terre, et ex dono Osberti del Maisnil apud Les Alneiz quatuor acras, et apud Bundevilla unam acram prati. Ex dono autem Matildis Imperatricis pro amore Dei et pro animabus patris sui, H[enrici] regis Anglie et matris sue Matildis regine, dominique sui G[aufridi] ducis Normannorum et comitis Andegavorum, terram in foresta de Romare que vocatur Campus Tragerii, liberam et quietam ab omni consuetudine et exactione. Et ex dono Willelmi de Sahus unam acram prope ecclesiam Mali Alneti, et ex dono Ricardi Morant unum molendinum tanerez et sedem domus sue et totam terram sue masure, et ex dono Bernardi de Borgheel duas acras, et ex dono Biatricis de Esleites ad Alneiz unum villatum. Item ex dono Gisleberti de Rovres, in Monte Calvel, centum acras terre liberas et quietas, et boscum de Faico, quantum ejus est inter duas vias Mesnilorum Duorum, et cum illo bosco quaruor acras terre sui dominici extra Faicum. Concessit et ipse Gislebertus omnes donationes et elemosinas quas Ricardus, quas Ricardus pater ejus ipsis sanctimonialibus dederat et concesserat liberas et quietas in perpetuum permanere et ut omnes advenientes molendino ipsarum ab omnibus partibus per terram suam transeuntes in pace eant et redeant. Insuper et culturam de Moncellis. Et ex dono Ricardi de Vadis quatuor acras ad Alneiz. Et pratum Rogeri de Sancto Martino et laforerie de Junchera juxta culturam et pontem ipsarum quietum ut in boscum eant et redeant, et terram de Campo Morandi et duas acras terre per quas via est ad nemus circa aquam et ultra, ex dono Fulberti Loremarii et Emmeline uxoris ejus. Et ex dono Philippi de Sahus unam acram terre in capite Vallis Rogerii. Ex dono Engelardi de Malo Alneto sex acras terre apud Maisnil. Ex dono Ricardi Hubolt et Anfride matris ejus duas acras apud eundem locum et unam acram prati prope domum sanctimonialium. Concessit etiam ut tres misse cantentur in monasterio sanctimonialium, que statute erant in monasterio Bundeville cantari. Item ex dono Walteri Gifardi quicquid ex feudo ejus erat in ecclesia de Guerris tam in decimis quam in terris. Ex dono Roberti de Willekier, duas garbas de Escheuvilla cum ejus redēcima, et unam acram terre ad sedem grangie sanctimonialium et redēcimam de Willekier et de Osberti Bosco et de Fulberville et de Ansketerville, et totam decimam molendinorum ejus et omnium redditum ejus de Normannia in denariis, caponibus, piscibus et braisiis, et septem acras terre ad Felkereum. Ex dono Aldulfi de Braci centum et decem solidos annuatim. Ex dono Radulfi de Plaiseiz .XX. solidos annuatim. Ex dono Roberti de Frevilla et Delais uxoris ejus, unum hominem liberum et quietum qui reddit .X. solidos per annum et revuardos. Ex dono monachorum de Bello Becco grangiam de Sidevilla liberam et quietam cum omnibus pertinentibus suis. Ex dono Johannis de Pratellis .XX. solidos annuatim ad Bolebec. Ex dono Roberti de Candos, X. acras terre ad Warengerville. Ex dono Beatris sororis Roberti de Wesneval .VI. solidos de censu unius masure in Rothomago. Ex dono Hugonis de Povilla et Roberto de Freskiennes, campum Heroldi. Ex dono Ricardi Hubout et Anfride uxoris ejus, duas acras terre et unam acram prati. Ex dono Stephani Bordet .VI. minas bladi annuatim. Ex dono Ricardi Talebot et Willelmi fratri ejus unam summam bladi ad festum sancti Michaelis in novo molendino suo qui est in rivera de Herecort. Ex dono Mathei de Clera unam summam ordei in molendino de Tot in festo sancti Remigii annuatim recipiendam. Ex dono Petri de Spineto, decem solidatas redditus apud Spinetum, quas Radulfus Ewardi et sui heredes debent reddere annuatim sanctimonialibus ad festum sancti Michaelis. Ex dono Willelmi de Maisnillio Goisleni .V. solidos redditus apud Sanctum Stephanum in perpetuam elemosinam quas Ricardus de Sancto Stephano et sui heredes reddere debent annuatim monialibus ad festum sancti Andree. Ex dono Radulfi de Plaiseiz .XX. solidos annuatim quos dedit quando filia sua Agnes recepta fuit in monialem. Ex dono Osberti presbyteri de Breteville .XII. denarios et .III. capones et tres panes. Volentes itaque hec omnia predictis monialibus firma et inconcussa permanere, ea sicut canonice adquisita [sun]t, et quecumque futuris temporibus adquirere poterunt justis titulis, presenti scripto et sigilli mei munimine confirmamus sub anathematis vinculo prohibentes ne quis hanc nostre confirmationis paginam infringere vel ipsas moniales aliqua temeritate super rebus a nobis confirmatis presumat molestare.